Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caption IX

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

Obambulant quingenti interdum, at circa feſtum Paſchatis duo millia ſimul conſpiciuntur. Effodiunt in Martio herbam, hujus odore ſuam excitant Venerem. iſta exhauſta reſolutis nervis per diei ſpacium ſemimortui jacent, guſtata alia ſibi reſtituuntur. *Geſn.*

CAPUT IX.
DE CATO & CUNICULO.

CAto oculi tam acuti, ut nec in tenebris quicquam fugiat. *Alb.* Felis vero Ægyptii maris, ad Solis rationem, variari pupillas, obſervatum eſt. Longæ fiunt in ortu, rotundæ meridie, declivum Sol cum ſpectat, obſcurantur. *Gellius.* Supinus plerumque ludit, undique ut circumſpiciat. Abſciſſis auriculis domi detinetur facilius. Guttas enim, auriculis apertis illabentes, ſuſtinere non poteſt. Pilus ejus in os hominis ſi inciderit, inhæret. Hinc aggeſta materia ſtrumæ ortum acquirunt. *In Malabar provincia*, inquit *Scaliger*, *feles ſunt agreſtes in arboribus agitantes; de earum celeritate proditum eſt, ſaltu potius valere: peculiaris vero volatus, idque quod magis mirum eſt, ſine alis. Membranam ab anterioribus pedibus ad poſteriores uſque productam tendi; quam dum quieſcunt, ad alvum contrahunt. Vbi volare inſtituunt, pedum crurumque agitatione, protenta collectaque membrana, tum ſuſtinentur, tum feruntur, mirabiliſque eſt earum tanquam per aërem currentium ſpecies. Cuniculi* in Balearibus abundant, inde ſegeti & campis noxa. *Solin.* Omni menſe pariunt nec cæcos, ſtatim à partu implentur, ubera quamvis ſiccante fœtu. *Plin. l.* 10. Lac ſtatim à partu fœmina non habet, priuſquam per ſex horas cum mare fuerit, avenæ deinde exceperit grana. *Geſn. de Quadrup.* In nova Albione talpas pedibus, caudâ glires referunt, habentq; ab utroque latere ſacculum in quem poſtquam ſaturati fuerint, reliquias recondunt. *Laſius l.* 6. *Amer. c.* 20.